



DE IAPODIBUS, POPULO ILLYRICO CELTIS COMMIXTO

Celtas inde ab anno 600., quo tempore magnam Hispaniae partem occupavisse creduntur, usque ad tertium saeculum a. Chr. n. compluribus magnis et longinquis migrationibus sedes suas promovisse et historiarum scriptorum et rerum antiquissimarum, quas e terra viri docti effoderunt, testimonio satis constat. Quorum invasione in Italiam principio quarti saeculi facta et post Alliensem pugnam Roma capta Scordisci, gens Celtica, Savi et Dravi vallem inferiorem occupaverunt, inde cum trans Margum, tum ad eius caput progressi sunt, e Dardania enim per Scordiscos Livio auctore (XL 57,7) iter erat ad mare Adriaticum Italiamque. Scordisci autem iam Zeussio (Die Deutschen und die Nachbarstämme, München 1837, pag. 175 sq.) non

una gens fuisse visi sunt, sed manus e diversis Celtarum populis in unum conglobatae; quos tum demum, cum e sedibus suis profecti Macedoniam Graeciam Thraciam invassent, Scordiscos sibi nomen indidisse. Quo nomine ea sententia comprobari mihi videtur, nam a Scardo monte, cuius pars ad meridiem vergens hodieque Šar appellata nomen antiquum retinet, eos cognomen cepisse Ptolemaeus testatur (V 6, 8). A *Scardo* Celtae nomen proprietatis suffixo *-isko-*, accolae eorum Illyrii vero suo suffixo *-ista-* <idg. *-isto-* fecerunt, cf. Strab. VII 296 τὸς δὲ Σκορδίσκους ἔνιοι Σκορδίστας καλοῦσι - Polybius I 6, 4, Iustinus 24,8. 32,3, Athenaeus VI 234a Scordiscos partem exercitus Celtarum Bathanato duce post cladem Brenni ad Delphos a. 279. in fugam effusi fuisse falso, ut opinor, asserunt, quod Scordiscos iam antehac Savi et Dravi vallem invasisse demonstrari facile potest (cf. infra pg. 191). Sed fieri potuit, ut catervae Celtarum e Graecia fugientium se Scordiscis adiungerent.

Taurisci Scordiscorum vestigia secuti orientem versus tempore Pliniano montem Claudium attingebant, cuius in fronte Scordiscos, in tergo Tauriscos fuisse idem auctor testis est (3, 148): inde eum montem non procul a Sirmio situm esse patet. Etiam eorum nominis a Tauris montibus, ut creditur, derivati suffixum, non aliter ac Scordiscorum, os Illyricum suo *-ista-* supplevit; Strabo enim eodem loco dicit: τὸς Ταυρίσκους δὲ Τεωρίσκους καὶ Ταυρίστας φασί. Gentis caput Nauportus fuit, quam urbem Strabo VII 313 Tauriscorum dicit, at IV 207 alio fonte usus (cf. Fluss RE 9 A 4) in Pannonia a Siscia orientem versus eos habitare ait. Quod optime concordat et cum Plinii verbis de monte Claudio et cum rebus Celticis temporis Latenii in Croatia septemtrionali et Slavonia effossis, ubi in Dravi valle ad vicum Pitomača dictum etiam *Carro-dūnum* fuisse creditur, quod nomen Celticum oppidum e plaustis in modum castrorum circumstructis ortum significat; advenarum oppidum ab indigenis Illyricis *Iovia* (radix idg. *ieu-* »juvenis«) sive »novum« dictum est, quod me (Vjesnik hrv. arh. dr., novae seriei vol. 16, 1935, pg. 77 sq.) probasse puto. Tauriscorum pars, quae Pannoniam incolebat, Octaviano inimicissima fuit (App. Ill. 16, Cass. Dio 49, 34, 2, Zippel 227. 230), qui dum ipse Iapodes debellat, legatum misit, qui eos subigeret (Cass. Dio 49, 35, 1, Krómayer: Hermes 33, 6, 1, v. Premerstein IOA X 274, 27). Unde colligi potest Tauriscos in Pannonia sedes continuas non habuisse; pars eorum etiam in Dacia septemtrionali consederat (Ptol. 3, 8, 3).

Praeter Scordiscos Tauriscos nonnullasque alias gentes, quae in agris hodie Hungaricis erant, e Celtis etiam Latobici, quorum nomen paludum accolae significare videtur, Pannoniam incolebant et quidem superiorem, a Savo ad meridiem; in via, qua ab Emona Sisciam itur, prope locum Trebnje sive Germanice Treffen Municipium Latobicorum situm erat.

Non solum ei Celtarum populi in Illyria erant, sed Celtae etiam interiores eius regiones petiverunt atque Ardiaeis Autariatisque bellum intulerunt. Celtae ubi victores consederunt, pauci dominium in plebem Illyriorum numerosissimam habebant. Sed paulatim utrique in unum ita coaluerunt, ut domini linguae plebis propria neglecta se assuefecerint. Ubi vero Celtae numero plures erant, linguam suam diutius servaverunt, quare Tauriscos Claudium montem attigisse, si Plinium auctorem sequamur, non solum verisimile est, sed etiam Strabonis verbis (VII 313) comprobatur: τὸς Σκορδίσκους καλουμένους Γαλάτας · καὶ γὰρ οὗτοι τοῖς Ἰλλυρικοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς Θρακικοῖς ἀναμιξέ ἤκησαν.

Alia Celtarum invasio testimonio Strabonis, qui Iapodes, populum Illyricum, Celtis commixtos esse dicit (IV 207 et VII 313), confirmatur; Dionysius Halicarnasaeus XVI libro historiarum eos planissime nominat ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῇ Ἰλλυρίᾳ (St. Byz. 322 ed. Meineke). Eorum armatura, ut Strabo ait, Celtica erat, sed more Illyrico vel Thracico corpora notis compungebant. Neque vero constat, quinam Celtarum populus eos subegerit: Müllenhoff (Deutsche Altertumskunde II 262 sq., III 137) eam gentem, quacum Ardiaei ante a. 360. bellum gesserunt (cf. Theopompi fragmentum 41 apud Athen. 443), Carnos vero Tomaschek (Mitt. Geogr. Ges. Wien 23, 1880, 502) eique assentiens Kämmler (Die Anfänge deutschen Lebens in Österreich, pg. 17) fuisse asserunt.

Difficile est Iapodum sedes diligenter et accurate definire. Ex titulis ab eorum praepositis et principibus patrio deo Bindo dedicatis (CIL III 14323 sqq.), de quibus nuper in mea commentatione »O fons Bandusiae« (Glotta 25, 1936, 173 sqq.) egi, apparet eos Unae fluminis vallem circa oppidum Bihać, ubi gentis fanum fuit, incoluisse: ibi gentis caput fuit, ibi multis locis plurimi tituli inventi sunt, ibi a multis Raetinium ponitur. Sed cum gentis caput prope fines fuisse verisimile non sit, Patsch suspicatur eorum sedes orientem versus ad Sanam fluvium, meridiem versus ad Oenei sive Unae fontes pertinuisse (WMBH 6, 1898, 154 sqq., cf. pg. 165). Hic Ditiones eorum accolae fuerunt, hic enim fuit *mons Ditionum Ulcirus*, titulo CIL III 3198 = 10.156 memoratus (Abramić: Vjesn. arh. dalm. 49, 151), hodie Grab dictus. Ad occidentem finitimi erant Maezei, quorum nomen vicus Mazin regionis Licae, quam vocamus, meridianae fortasse retinet; cum eo optime congruunt et quae Ptolemaeus II 16,8 dicit: κατέχουσι δὲ τὴν ἐπαρχίαν ἐχόμενοι μὲν τῆς Ἰσθρίας, Ἰάποδες, ὅπερ δὲ τὴν Λιβουρνίαν (i. e. Dalmatiam septemtrionalem usque ad Tedanium flumen sive Zrmanjam) δυσμικώτεροι (sc. propius solis occasum quam Iapodes, non ad orientem eorum, sicut quidam opinati sunt) Μαζαῖοι, et quae Plinius 3, 140 dicit, Tedanio Liburnos et Iapodes dividi. Quod idem praeterea ait Titium flumen, i. e. Krkam, Delmatis et Iapodibus pro finibus esse, explicationem habet in eo, quod huius fluminis caput non procul a capitibus Unae et Zrmanjae fluminum abest. Sed fieri nullo modo potuit, ut Iapodes Scardonam vel loca ei vicina attingerent, ut quidam credunt, quod Promona (cuius rudera ad vicum hodie Tepljuh dictum, a Tininio vel Knin in meridiem et hibernum occidentem vergunt) Liburnorum erat atque eis a. 51. a. Chr. n. a Delmatis, haudquaquam ab Iapodibus erepta est (App. III. 12); praeterea ad meridianam Ditionum partem, ubi Dinara mons est, Dindari, qui ei nomen dederunt, locandi sunt; ei et Ditiones Liburnos ab Iapodibus dirimebant.

Vallis ad oppidum Bihać iam antiquitus Iapodum erat. Neque vero tituli, de quibus diximus, secundo saeculo p. Chr. n. antiquiores esse possunt, et Octavianus cum Iapodibus in locis Croatiae asperis et montuosis Karst vel Kras dictis pugnavit. Sed nihil est causae, cur credamus eos clade accepta inde in vallem Unae fertilem ab Octaviano traductos esse. Nam Iapodes ab anno a. Chr. n. 400. circiter vel prius sepulcretis in Unae valle, praecipue eo prope vicos Pritoka et Jezerine, usi sunt usque ad Traiani tempora, cum more Romano corpora mortuorum cremare coeperunt (Radimsky WMBH 3, 218, Patsch ibd. 6, 179): ex quo conficitur, ut Iapodes ex illo tempore sine ulla intermissione eam regionem incolerent. E vico Jezerine imagines

militum Iapodum ad nos pervenerunt (cf. tabulam apud Ebertum, Reallex. der Vorgeschichte 6, 167), aliae e medio Latenii tempore ad vicum Ribič a. 1936. comparuerunt. Opera sublicia prope vicum Ripač ad aeneam aetatem originem sui referunt (Čurčić WMBH 12, 3 sqq.), vicus tempore Hallstatti ad Sanae pontem (Sanski most) ortus est (Mandić: Glasnik muzeja BH 43, 1 sqq.). Itaque regio trans Alpes, quas Appianus (Ill. 21) nominat, antiquissimis iam temporibus Iapodum patrimonium erat.

Octavianus cum a. 35. a. Chr. n. Iapodibus bellum inferret, Senia profectus citra »Alpes« Monetium Avendonem Arupium facile, difficilius locum transalpinum Terponum, omni sane virium contentione Metulum expugnavit; Poseni pagus rebellavit, cum Octavianus exercitum Sisciam iam deduxisset (App. ibd.): forsitan a Metulo longius (in Unae valle?) afuerit. Cum Monetium Avendonem Arupium ad hodierna Licae loca Brinje Brlog Otočac fuisse constet, Alpibus Appiani mons Kapela significari putandus est, quo transenso Octavianus Terponum et Metulum, quae arces aditum ad Unae vallem claudebant, pervenit.

Kahrstedt (Studien zur Sozial- und Wirtschaftsgeschichte der Ost- und Zentralalpen vor Augustus: Göttinger Gel. Nachr. 1927, 1 sqq.) acute arguteque de duobus auctoribus tempore diversis, quibus Strabo usus esset, coniecit, e quorum comparatione collegit Iapodes secundo vel primo saeculo a. Chr. n. in regiones montuosas ad aquilonem et orientem Istriae conversas irrupisse. Auctore priore (VII 5) Albius mons, quem Kahrstedt eundem ac Montem Nivosum (Sniježnik vel Schneeberg Carniolae) putat, in Iapodum finibus est, non autem mons Ocra (Hrušica vel Birnbaumer Wald), posteriore vero auctore (IV 6) Iapodes, antequam ab Octaviano subacti sunt, ex utraque parte Ocras sedes habuerunt. Nemo dubitet, quin eo nomine mons designetur, cum Ocras et Ptolemaeus bis ὄρος et Strabo bis Alpium partem, etsi maxime demissam appellet, qua cum re nominis etymon (rad. ak' »acutus, lapis«, cf. Glotta 24, 170) optime congruit. Kahrstedtii sententia admodum confirmatur iis munitionibus, quas ab Ocra usque ad Montem Nivosum contra Italiam exstructas, a Romanis deletas esse armorum reliquiae ibi repertae demonstrant (Walter Schmid et Veith: Österr. Jahreshfte 1922—24 B). Sed Strabonis Albius non Montem Nivosum solum dixerim; »Alpes« enim Appiani, quae ab Albio certe non differunt, Kapelam montem significant: huius igitur nomine etiam Mons Nivosus, cum eum Iapodes occupavissent, eorum usu complecti videtur.

Quis vero credat Iapodes orae maritimae ad radices montium Nivosi et Kapelae sitae, quamquam eos possidebant, participes non fuisse? In Italia inferiore enim Iapyges, gentem Illyricam, iam antiquissimi rerum scriptores Graeci noverunt, res e terra effossae vero eos iam circa annum 1000. a. Chr. n. eo venisse demonstrant (cf. Duhni tabulam geographicam »Italia circa a. 1000.« apud Ebertum 6, 79); sed paulatim evaluit nomen Messapiorum, postquam bellis contra Tarentum gestis ad claritudinem pervenerunt. Ab Iapodibus colonias in Calabriam deductas esse Herbig primus cognovit (Hermes 11, 1876, 270 sqq.). Sane Iapygum et Iapodum nomina et media vocali et ultima consonante differunt; sed o et u ex eadem vocali manasse facile intellexeris, cum praeter *Iapodes*, qua forma tituli Bindo dicati utuntur, etiam *Iapudes* apud rerum scriptores et in titulis urbis Romae saepe invenias. Suo iure enuntiat A. Momigliano (Encicl. ital. 22, 947) Hecataeo formam Ἰάποδες, de qua

Ἰάπωνες ducta est, notam fuisse; dicit enim: Ἰαπωνία, δύο πόλεις, μία ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Ἰλλυριδί (St. Byz. s. v.), de quo dicto infra loquemur. Ephorus terram gentis, quae in Illyria habitabat (St. Byz. s. v. Ἴστρος), etiam Bern. schol. Luc. 375 Iapygiam dicunt, ceteri vero scriptores antiqui Iapyges Italiam et Iapydes vel Iapodes Illyriam incolentes distinguunt (cf. Servium Georg. 3, 475, Philipp RE 9, 379). Herbig l. c. et Kretschmer (Einleitung in die Geschichte der griech. Sprache, 260) consonantem *d* in *g* apud Dores versam esse etiam in vocibus ὄρνιξ, -ιχος (: ὄρνις, -ιθος) et κλάξ vel κλάξ, κλάτ-κος (: κλάξιδ-) annotant. Momigliano etiam nomen Latinum et Sabinum *Apuliam* a *Iapudia* spirante (?) *j* amissa ductum esse putat et vocem Oscam *Akudunnia* > lat. *Aquilonia* et *Aufidus* > Ὠφελος (apud Appianum, sed in eius libris tantum ποταμὸν Ἀφιδὸν B. Hannib. 16 invenio) confert; adiungam nota exempla, ut *lingua lacrima levir* etc. — Walde et Pokorny (Vgl. Wb. 1, 46) *Apuliam* e radice *idg. ap-* «aqua, fluvius» ductam esse asserunt; *j* nunquam vocibus Illyricis vocali incipientibus more Slavorum antepositum esse nomen fluvii Ἄφος vel eiusdem originis et multa alia satis demonstrant. Propterea *Iapudiam* et *Apuliam* seiunxerim, quamquam e radice *iap-* nomina nonnulla fluviorum derivata sunt; conferantur et *fluvius Calabriae Iapyx* apud Plinium 3, 102, cui multi fidem non habent, et Ἰαπίς, χαράδρα Ἀττικὴ εἰς Μέγαρον ἀπάγουσα, ὡς Καλλιμάχος Ἐκάλη (St. Byz. 322).

Iapodes colonias etiam in Picenum deduxerunt; *Iapuzkum numen* (i. e. nomen) tabulae Iguvinae VIIa in exemplo devotionis gentium Umbris inimicarum ad * *Iapudiscum* redit. Iapodes navibus in Italiam inferiorem, ut creditur etiam in Picenum contenderunt; Max. Mayeri (Philol. 65, 1906, 543) sententiam, qui eos ex Iapygia eo traductos esse putat, nemo fere secutus est.

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin Iapodes olim imperium maris Adriatici tenuerint; quod vero fieri non potuit, nisi oram Illyriae maritimam possedissent. Quae possessio auctorum testimonio confirmata est. Apud plerosque geographos antiquos (cf. Plinium 3, 129) Istriae oram sequitur Liburnica, at pauci, inter quos etiam Strabonis auctor prior est, inter Istros et Liburnos oram Iapodum ponunt, quam plerique totam Liburnis attribuunt. Fuit itaque antea tempus, cum Iapodes oram maritimam tenerent. Sed eam tum demum, cum Celtae eos devicerunt, occupatam esse haudquaquam dixerim, quia sedibus suis mediterraneis pulsati non sunt. Degrassi (Ricerche sui limiti della Giapodia: Archeografo Triestino III/15, 1, 285 sq.) consuli C. Cassio a. 171. in Macedoniam ducenti exercitum (Liv. 43, 1.5) nullam viam praeter eam, qua Tarsaticam et Seniam itur, patuisse falso contendit; eas urbes adire ei omnino necessarium non fuit, ut Iapodum fines popularetur, cum iam antequam Istriam septemtrionalem invaserunt, ut Kahrstedt probavit, Montem Nivosum Aquileiae multo propiorem possedissent. Kahrstedt eodem tempore, quo Iapodes Istriae partem invaserunt, i. e. altero vel primo saeculo a. Chr. n., etiam hodiernae Croatiae oram totam et Istricam usque ad Arsiae ostia a Liburnis occupatam esse vult. Sed Iapodes victores suam oram locis asperis et montuosis commutasse nemo fere credat. Praeterea Strabonis auctor prior, qui Iapodibus oram attribuit, cum montem Ocrum Iapodum non esse dicat, necesse est scripserit prius quam illa irruptio Iapodum in Istriae regionem ad septemtriones vergentem facta est, quam demum auctor Strabonis posterior narrat. Non si Liburni et Iapodes Istros bello laccessiverunt, idcirco eodem tempore id fecerunt.

Kahrstedtio praeterea permira esse videtur moderna quam vocat descriptio orae apud auctorem, qui Scylax dicitur (c. 21): is quoque Istris adiungit Liburnos, his Illyrios, non novit oram Iapodum, itaque cum Strabonis auctore posteriore et Plinio et Ptolemaeo concordat; μετὰ δὲ Ἴστρου, ait enim, Λιβυνοὶ εἰσιν ἔθνος. ἐν δὲ τούτῳ τῷ ἔθνει πόλεις εἰσὶ παρὰ θάλατταν Λιάς Ἰδασσα Ἀττιενίτης Δούρτα Ἀλοῦφοι Ὀλοοὶ Πεδήται Ἡμίονοι. Quo loco valde corrupto facile cognoscimus *Lopsicam* (hodie ad S. Georgium) in voce Ἀλοῦφοί, tum *Ortopliniam* (hodie Stinica), si cum Müllero ΟΛΣΟΙ ΠΕΔΗΤΑΙ in ΟΡΣΟΠΕΛΗΤΑΙ, ΟΡΤΟΠΕΛΗΤΑΙ emendamus; pro ΙΔΑΣΣΑ ΑΤΤΙΕΝΙΤΗΣ iam Gronovius coniecit *Δαρσατικά, Ταρσατικά* (Ptol. II 16, hodie Trsat) — ego potius **Ταρσατα* coniciam et formam in *-ικά* desinentem posteriorem dicam — et *Σενίτης* (potius *-τες*), ethnicum e *Senia* derivatum. Deinde Ἡμίονοι haud scio an sit versio vocis *Azin-ates*, quae Latina videbatur (cf. quae dixi *Nast. vjesnik* 43, 38 sq.); Azinates circa sinum maris Montanum (Croatice Planinski zaliv, Italice Canale della Montagna vel Morlacca dictum) fuisse suspicor, cum Plinius 3, 140 *civitatem Pasini* pro *Asini, Azini* — nisi forte in transscribendo peccatum est, etiam nomen *Parupion* Rav. 4, 22 praepositione Illyrica (*ϕ'* ante vocalem pro idg. **ϕi, eϕi*) ex *Arupio* amplificatum est — inter Aenonam (hodie Nin) et Tedanium flumen et titulus CIL III 8783 *municipp. Azina(tium), Splonistarum, Ar(upinorum)* nominet. Litteras in principio ΛΙΑΣ I- ex ΑΡΣΙΑ corruptas dixerim; geographo Ravennati 4, 31 etiam *civitas Arsiae* nota est. Descriptor orae igitur medio IV. saeculo a. Chr. n. loca ordine geographico recenset: *Arsia, Tarsat(ica), Senites, . . . , Lopsi, Ort-op(e)l-etae, Azinates*. Quod denique quartum (= δ' ?) nomen *δουρτα* vel δ' *ουρτα, ουρτα* attinet, sub illis litteris nomen civitatis nobis adhuc ignotae latere dicam. Scylaci ora ab *Arsia* usque ad sinum Montanum Liburnorum est. Ea regione Scylacis *Καταρβάτης ποταμός* in mare influit, qui idem est ac fluvius Strabonis: *ποταμός φορτίσις ἀνάπλου ἔχων μέχρι Δαλματέων* in ora Liburnica (*Λιβυρηνικός παράπλους*). Hunc Titium vel Krkam esse, qui fluvius minime navigabilis per octo gradus, quorum postremus ad ipsum ostium est, ex edito desilit (R. Petermann, *Führer durch Dalmatien*, Wien 1899, pg. 186—196), a fide abhorret; ideo Strabonis verba, quae sequuntur, *καὶ Σκάρδων, Λιβυρηνή πολις* ad verba *ποταμός φορτίσις ἀνάπλου ἔχων* referri non possunt, immo vero Tedanius (Zrmanja) intelligendus est, qui ab ostio circa 13 chm tantum navium patiens est, sed cum in sinum (vel mare quod vocant) Novigradi influat, qui cum sinu Montano coniunctus est, nautis Graecis uterque sinus fluvius esse visus est non aliter ac »fluvius« Rhizon (δ' Ῥίζος Scyl. 25, τῷ Ῥίζονι ποταμῷ Polyb. 2, 11, 16). Post navigationem 50 chm utroque sinu et adverso flumine Tedanio naves Clambetas (hodie Obrovac) subibant, unde merces pedestri itinere in partes interiores transportabantur. Quae cum ita sint, apud Scylacem lacunam esse puto; nullas enim urbes maritimas in Dalmatia septentrionali, ne Scardonam quidem, memorat et descriptionem orae demum a parte Titii meridiana, a Bulinis et Hyllis facere pergit. Hos enim Plinius 3, 141 a meridie Scardonae locat, illi in Tabula quae dicitur Peutingeria supra Tragurium inter Praetorium magnum et Andetrium et Siculos relati sunt.

Cum Scylax ne Carnos quidem in litore maris inter Venetiam et Istriam noverit, coniecturam facere possumus, sedium mutationes, quae demum Celtarum invasione in illo litore evenerint, eo tempore nondum conspici potuisse. Sed haudquaquam pro

certo habeo Scylacem, qui parvas et ignobiles gentes nominat, Iapodes propterea non nominasse, quod cultu Illyrico et Celtico commixto, quem Strabo praedicat, nondum populus singularis, a Liburnis diversus fuissent. Iam nomine eodem vel Iapygum simili Scylax, non aliter ac antea Hecataeus, adduci debuit, ut Iapodes, si eos cognovisset, memoraret. Ex quo effici cogique potest oram maritimam eis a Liburnis eo tempore iam ademptam fuisse.

Sieglin (in Philippi commentatione RE 9, 739) Hecataei fragmentum, cum *Ἰταλία* circa a. 517., qua aetate *Ἰγς περίοδος* scripta est, Iapygiam nondum complecteretur, ei qui librum circa a. 345. retractavit, assignare voluit. Cui rei fidem additam dicit Philipp, quod Scylax Iapyges in Italia inferiore, sed non Iapydes in Illyria cognoverit. Contra ea de causa potissimum Hecataei fragmentum eodem tempore quo Scylacis descriptionem scribi non potuisse, sed antiquius esse credo, nomen tantum *Ἰταλία* postea in locum alterius terrae nominis, sicut etiam fortasse *Ἰαπυγία* in locum nominis *Ἰαποδία* (cf. supra pg. 192 sq.), substitutum esse.

Quae si ita sunt, Iapodes a Liburnis victi inter annos 500. et 350. a. Chr. n. oram maritimam amiserunt; fortasse Liburni ea clade, quam Iapodes a Celtis acceperunt, ita sunt usi, ut fines suos proferrent. Sed iam diu effluxit tempus, quo Iapodes maris Adriatici imperium habuerunt et colonias non solum in ripam mediae Italiae ex adverso sitam (Plin. 3, 110), sed etiam in Italiam inferiorem deduxerunt. Summa imperii, quam eis nono et octavo saeculo a. Chr. n. attribuere possumus, ab eis ad Liburnos translata est, quos a. 734. Corinthius Chersicrates Corcyra pepulit (Strab. 6, 269, Momigliano l. c.). Eis temporibus Liburni etiam Pharum insulam possederunt (Scymni frg. 6. Gisinger RE. 3 A, 668).

Cum Liburni in mari Adriatico duces essent, Apuliam Iapodes in possessione sua retinebant. Notandum est itaque in Iapygia neque ipsum nomen Liburnorum inveniri — *Λιβυρνον ὄρος* Polybii 3, 100, 2 lectio corrupta videtur, cf. Philipp RE 13, 146 et Weinstock ib. 6 A, 818 — neque ullum loci, qui umquam Liburnorum fuit, vocabulum praeter *Corinenses*, populum Apuliae (Plin. 3, 105), quorum nomen cum *Corinio* (hodie Karin in Dalmatia septentrionali) concordat. At in Piceno Plinius 3, 110, 112 et Festus 212 M (117) Liburnos memorant et in Bruttis nonnulla eorum nomina repetuntur: *Clampetia* a *Clambetis* iam memoratis tantum suffixo *-iā* et mutatione *p-b*, cuius naturam Jokl (apud Ebertum 1, 93. 6, 48. 13, 289) e locutione Illyrica evolvit, diversa; *Lacinium* promunturium apud Crotona, nomen haud diversum a *Laciniensibus*, pago Liburnorum (Plin. 3, 139); *Blanda* (ita CIL X 125) in Lucania, a parte meridiana Buxenti, a Plinio 3, 72 Bruttis adscripta, et *Blandona* (It. Ant. 272 vel *Βλανδῶνα* Ptol. II 16, de qua forma confer Krahe IF. 49, 270). Haud scio an Liburni, eodem modo quo Senones, Iapygiam iam occupatam praetervecti longius occidentem versus progressi sint.

Iapodes maritima amiserunt aut inde pulsi aut quod litoris accolae sub ditionem Liburnorum redacti sunt. Gentes antiquae enim ut respublicae hodiernae non immutabiles erant. Nonnullis pagis e diversitate locorum ortis constabant, quorum unum vel alterum bello adverso amittere potuerunt aut singuli pagi opibus aucti sui iuris esse maluerunt. Cum *Colapis* per Iapodum terram fluat (Strab. VII 314), alii vero auctores (Plin. 3, 147, Ptol. II 14, CIL III 11227) *Colapianorum* gentem noverint, a

vero non abhorrere videtur eam antea Iapodum pagum viribus auctum et sui iuris factum fuisse nomenque a fluvio traxisse. Scylax l. c. insulas *Μεντοριδας* memorat, quas scilicet possidebant *Μέντορες*, Hecataeo Liburnorum vicini (*ἔθνος πρὸς τοῖς Λιβυρνοῖς*, St. Byz. s. v.), sed Plinio (3, 139), qui statum posteriorem enarrat, Liburnorum pars Istriae proxima, nam in populorum orae Liburnicae enumeratione initium ab iis capit. Pseudo-Scymno auctore (v. 391 sq.) Mentores cum Ismenis supra Istros incolebant; eam rem liber de mirabilibus auscultationibus Aristoteli falso adscriptus longius persequitur: λέγεται . . . μεταξύ τῆς Μεντορικῆς καὶ τῆς Ἰστριανῆς ὄρος τι εἶναι τὸ καλούμενον Δέλφιον (corruptum ex Ἄλφιον, Ἄλβιον) ἔχον λόφον ὄψηλόν· ἐπὶ τοῦτον τὸν λόφον ὅταν ἀναβαίνωσιν οἱ Μέντορες οἱ ἐπὶ τῇ Ἀδρίᾳ οἰκοῦντες, ἀποθεωροῦσιν, ὡς ἔοικε, τὰ εἰς τὸν Πόντον εἰσπλέοντα πλοῖα (c. 104). Eundem montem Theopompus apud Strabonem VII 317 denotat neque nominat: τὸ ἄμφω κατοπεθεσθῆναι τὰ πελάγη ἀπὸ τινος ὄρους, quam opinionem Strabo reicit. Nomen *πόντος* in fonte libri de mir. ausc. appellativum fuisse suspicor, sed huius auctor id, cum illo loco litori Adriatico oppositum esse crediderit, ad Pontum Euxinum rettulit. (Idem fere de vertice Haemi quodam narrabatur, cf. Liv. 40, 21, Oberhummer RE 7, 2222). Ex illo summo monte enim Mentores naves in mari observabant, ut eas spoliarent et auferrent. Itaque propter eum locum Ps.-Aristotelis Mentores in regione mediterranea locare non possumus; idem efficitur ex Apollonio Rhodio, qui Hyllum a Mentoribus interfectum esse dicit (IV 548 sq.). Quos cum Hecataeus a Liburnis segreget, Iapodum pagum fuisse credo, qui etiam in possessione insularum ex adverso sitarum fuit; Strabo enim Curictam (hodie Krk vel Italice Veglia) in Iapodum litore esse dicit (ἡ Κυρικτικὴ κατὰ τοὺς Ἰάποδας VII 315). Si Tomaschek (l. c. 502) recte opinatus esset Mentores nomen antiquius Iapodum fuisse, in Italia inferiore, quo iam antiquissimis temporibus eam gentem migrasse constat, Mentorium nomen, non Iapodum inveniremus.

Sedes Iapodum definire volumus, ut rationibus praehistoricis, quae dicuntur, et etymologicis exquirere possemus, num auctores antiqui, qui eos Celtis commixtos esse dicunt, verum locuti essent. Nemo est, quin res Hallstattii temporis his locis effossas Illyriis assignaverit. Eas formas cum indigenae etiam postea, usque ad Christi tempora, servaverint (cf. Klemenc, Vjesnik hrv. arh. dr., n. s. 16, 119), difficile est Lateniae aetatis ineuntis inventa tempore diligentius discernere. Dubitari non potest, quin maxima Latenii temporis parte zona Celtarum, scutorum umbonibus, gladiis Lateniis, linearum tortuosarum ornamentis, sepulcris ad vehiculi formam constructis manifesta, a Norico — per Croatiam septemtrionalem et Slavoniam — usque ad Scordiscos porrecta sit: in Hungariam continuatur, sed in Iapodum finibus temporis Latenii ineuntis nullae omnino Celtarum reliquiae inveniuntur (Wilke apud Ebertum 6, 172). Nemo igitur miretur in thesauro a. 1930. apud vicum Ribnik in Lica meridiana, i. e. apud Iapodum vicinos a parte meridiei, nullam rem Celticam temporis Latenii ineuntis inventam esse. Itaque Klemenc suo iure contendit ingenium Celticum in operibus artis aestimandis tum demum his regionibus viguisse, cum Celtae eis potiti sint; paulatim enim cultum vernaculum, qui primo plus valuerit, Celtarum artificio superatum esse. Propterea in aperto est in sepulcris Latenii temporis his regionibus inventis maximam partem non Celtas advenas, sed Illyrios indigenas conditos esse.

Postremo nomina locorum et hominum in disputationem deducturi sumus. Dubitari non potest, quin nomen Iapodum origine Illyrica sit, quia etiam in Italia inferiore, quam Celtæ nunquam incoluerunt, extat. Nescio autem quo pacto Celtæ Iapodibus subactis vel invitis suum nomen imponere non potuerunt. Nullus sane auctor nos de illis rebus certiores fecit. Fieri quidem potuit, ut Iapodes, qui se vel bello contra Octavianum gesto audaces et laborum patientes praeberunt, seditione dominos Celtas privilegiis una cum nomine privarent.

Nomina locorum Iapodum iam formatione Illyrica esse approbantur. *A(u)-rupium* et *A-vend-o(n)* non aliter ac *Au-taria-tae* »*Tariae (hodie Tarae) fluminis accolae« (cf. quae dixi PBB 58, 155¹) et *Au-sanc-al-io(n)* praepositionem *au-* < idg. **auē-* »de, ab« (ai. *ava*, lat. *au-*, *ve-*, pr. *au-*, ir. *o*, *ua*, vsl. *u*) idem ac slav. *u* »ad, apud« significantem continent, qui significationis progressus adhuc tantum apud Slavos notus fuit (cf. Kretschmer: Glotta 14,88); in loci nomine *Aufustianis* (Rav. 4, 16, It. Ant. 338, 3) Illyrii suam praepositionem *au* etiam inesse credentes in Latinam *ad* verterunt, quam invenimus in Tabula Peut.: *ad Fusciana. Avendonem* iam Tomaschek (RE 2, 2281) ex alb. *vend* »sedes« explicavit, *Aurupium*, in monte Vital situm (Patsch, Die Lika in römischer Zeit, Wien 1900, pg. 30. 76 sq.), cum ai. *rōpa-n*. »cavum, caverna«, an. *rauf* f. »rima, cavum«, croat. *rūpa* »cavum, fovea«, lat. *rūpēs* et cum Tirolii nominibus topicis *Roppen*, *Rofen*, quae in Celtarum linguis propinqua non habent, contuli (Glotta 24, 172). *Mon-et-ium* fictum est ut *Ep-et-ium*, *Ser-et-ium*; M. Mayer (Phil. 65, 1906, 525) Apuliae gentem *Monadorum*, a Diomede, ut Plinius 3, 105 ait, deletam adhibet. *Mon-et-ium* et *Mon-adi* explicari possunt vocibus Latinis *ē-mineo* et *mons*, quae quidem propinquis Celticis non carent.

Illyricam quoque formationem invenies in nomine *Met-ulum*, Graeco *μέτα*, *μετά* »inter« et alb. *mjet* »medius locus« propinquo (Jokl apud Ebertum 1, 87), quod etymon optime probatur Appiani (Illyr. 19) verbis: *Μέτουλον κείται ἐν ὄρει σφόδρα ὑλώδαι ἐπὶ δύο λόφων* — quorum alter altior vel ὑψηλότερος erat (c. 21) — *οὗς διαιρεῖ χαράδρα στενή*: oppidum igitur nomen cepit ab eo, quod inter duos vertices situm erat sicut *Di-mallum* (Liv. 29, 12, *Διμάλη* Polyb. 3, 18. 7, 9, ethn. *Διμαλλίτην* IG VII 282 Oropiae Boeot.) in Illyria meridiana, inter duos (*di-* < **di-*) vertices (*mallum* = alb. *mal* < **mol-no-* »mons«: ir. *mell* < **mel-no-* »collis«, vslav. *molēti*, croat. *iz-moliti*, *pomoliti se* »prodire, apparere«) situm (Jokl apud Ebertum 13, 285, Krahe, Lex. altilyr. Pers. N. 136). Illyrii enim oppida in faucibus inter duo cacumina condere eisque moenia circumdare solebant, quae Praschniker et Schober descripserunt (Archäologische Forschungen in Albanien und Montenegro, Wien 1919, imago et forma operis Kalaja Samoborit apud vicum Helm pg. 92 sq.).

Τέρπωνος (App. Ill. 18) in colle Samačka glavica (680 m) apud locum Gornji Modruš, ab Ogulini parte meridiana, ponitur. Nescio an nomen sicut multa alia Illyrica suffixo *-ōn(a)* fictum et familiae Baltoslavicae propinquum sit, cui verba lit. *tar̥p*, *ter̥p* »inter«, *tár̥pas* »intervallum, lacuna, rima«, vsl. *trap̥s* »fovea«, croat. *trap̥* »raparum fovea« adnumeranda sunt; adiungam quoque *Τέρπ-υλλος* Ptol. 3, 12, civitas situs ignoti in Mygdonia, Macedoniae regione, thrac. *Tarpo-dizos* It. Ant. 230, It. Hier. 569 (*Tarpu-dison* Rav. 4, 6), mutatio in via, quae a Byzantio per loca mediterranea Anchialum ducit; eam Kiepert FOA XVIII ab Adrianopoli aequi-

lonem et orientem versus locat. Altera vocabuli pars est vox Thrac.-διζος sive διζα »ark«, quam etiam in Illyr. *An-diz-etes* »arcis accolae« Jokl apud Ebertum 1, 89 notavit.

Appiani (Ill. 21) *Posenos* quispiam forsitan eisdem esse putaverit atque *civitatem Pasini*, sed hanc Plinius (3, 140) in maris litore collocat, Appianus vero illos pagis Iapodum trans »Alpes« sitis adnumerat (Ἰάποδες μὲν οὖν οἱ πέραν Ἀλπεῖων. τότε πρῶτον Ῥωμαίων ὑπήκουσαν. καὶ αὐτῶν Ποσηγῶδες . . .): cum post Metulum ab Octaviano captum rebellaverint, longius ab hoc oppido afuisse videntur. Nescio an eorum fuerit *Raetinium* (CIL XIII 7023, Ῥαίτινον Dio Cass. 56, 11), a quibusdam in Unae valle prope Bihać collocatum. Si in fluvii ripa situm erat, nomen fluxit e verbo propinquo ai. *rīti-* »amnis, festinatio«, *rētas* n. »fusio, amnis, semen«, ags. *rīþ* m. f., *rīþe* f. »amnis, rivus«, as. *rīth* m. »torrens«, med. inf. germ. *ride* f. »rivus«, nov. germ. *-reide* in nominibus topicis; sed cum eius situs ignotus sit, non aliena videtur familia verborum: ai. *rátha-* »currus«, *ráthya-* »plaustrarius«, fem. »via«, lit. *rātas* »rota, circulus«, ahd. *rad*, lat. *rota*, ir. *roth* id., fortasse gall. *Rotomagus* quoque, hodie *Rouen*; nam *a* ante vel post liquidas in lingua Illyrica constans non est.

Ab *Asin-one* vel *Asin-io*, si hoc oppidum eiusque incolae *Azin-ates* in maris litore recte posuimus (v. supra pg. 194), via initium sumpsit, quam geographus Ravnennas bis refert (IV 19) — hac serie: *Asino[n]e*, *Clandate*, *Berginio*, paulo ante vero altera: *Cland[at]e*, *Assino[ne]*, *Berci[ni]o* — et *Servitium* (hodie Gradiškan) ad Savum duxit; via itaque per Unae vallem, quae Iapodum erat, ad Savum ferebat. Tomaschek (l. c. 511) omnes tres stationes longius, ut credo, orientem versus collocat: *Clandate* in loco Novi, *Asinonem* in loco Prijedor, qui uterque ad Sanae ripam situs est. *Berginium* vero in Dubica, ubi *Una* in *Savum* influit. Idg. palatalis huius nominis, e radice *berg'h-* »altus, elatus« derivati non in spirantem versa est, quod miramur, sicut in aliis nominibus Illyricis eiusdem originis: *Birziminium*, *Barzanites*, *Berzana*, *Berselum*. Itaque Celtarum ea acropolis erat, ut iam (Glotta 24, 164) persecutus sum, et in terra subacta potentiae eorum praesidium, cui nomen ipsi dederunt, nobis vero eorum domini vestigium est.

Iapodum erat etiam, ut opinor, *Mentorum* nomen; illius alti montis, unde late in mare prospectus erat, incolis nomen e radice *men-t-* »eminere«, ad quam etiam lat. *mons* (**montos*) pertinet, ductum sane convenit. Derivationis vero syllaba, quam in nominibus Illyricis *Plator*, *Slator*, *Daetor* invenimus, omnibus linguis idg. communis est. *Μεντορ-ἴδες* (νήσοι) quidem nomen est derivatum Graecum. Nihil autem habeo, cur haec populorum nomina Iapodibus adscribam: Ἰσμενοι Pseudo-Scymno auctore (v. 401) inter Istros Liburnosque, multis eidem atque Plinii (3, 139) *Himani* et Scylacis Ἡμίονοι visi; Καυλινοί Hecataei (St. Byz.), si cum eis *Culicos Flamonienses* (corruptum ex *Flanon-*) Plinii 3, 130 conferas, in Istria collocandi sunt; Σωπιοί, quos Krahe »homines oculis suis« esse vult, et Ἰθμίται Hecataeo gentes Liburnis proximae.

Haud vero abnuerim *Parentinos* pagum Iapodum fuisse, cum supra *Ortopliniam*, hodie *Stinicam*, in maris litore sitam, usque ad regionem vico Kosinj vel antiquo *Aurupio* (prope Otočac) vicinam habitaverint (Patsch, Lika 23); condiciones aditus ad fontem hodie Begovača dictum conventionem *inter Ortoplinos et Parentinos* pacta, quae titulo CIL III 15053 (Patsch l. c. 22) ad nos pervenit, definitae sunt. Cum eae regiones aqua magnopere careant et ibi qui aquam vivam possident, invidendi ha-

beantur, nomen Parentinorum cum voce **per-rēn* »aqua per aliquem locum fluens« coniungam, ex qua Jokl (IF. 49, 285) alb. *përrua*, *përrue* »rivus« et nomen Bosniae topicum *Paraun* duxit; ea enim non ante tertium saeculum p. Chr. n. exiens (Jokl, Studien zur alb. Etymologie und Wortbildung, Wien 1911, pg. 23 sq.) in **per-rōn* transiit, et *par-* ex *p̄r* (primo ante vocalem) in vicem *per-* successit. Ethnicum vel potius adiectivum possessivum suffixo *t* derivatum est, sicut *Curic-tae* Plin. 3, 139, CIL III 3126, Κορρίττα Ptol. II 16 (W. Schulze LE 8 in *-ταί* emendavit), *Curic-tum promunturium* Schol. Bern. Luc. IV 406 sq. ex oppidi nomine Κορρίτων Ptol. ibd., ad *Curici portum* Caes. B. C. 3, 8; *Absor-tium: Apsorus; Iades-tinus: Iader*. Romani illud nomen cum mutuum sumpsissent, suo suffixo *-ino* amplificaverunt: **Par[r]en-t-ino* sicut *Iades-t-ino-* vel Κορρικ-τ-ική νῆσος Strab. 2, 124. 7, 315, *Curic-t-ico litore* Flor. 2, 13, *Curic-t-anae insulae* Cassiod. var. 7, 16. Nomen *Publisca*, quod Ravennas IV 22 (*Publisca* V 14, Guido 115) a meridie Seniae notat, suffixo *-isca* alienum argue retur, nisi in *Lopsica* emendandum esset.

Nomen dei Iapodum *Bindi* vernaculum esse me iam demonstrasse (Glotta 25, 173 sqq.) puto. Nomina hominum, quae in Iapodum regionibus ad nostram aetatem in titulis pervenerunt, omnino Illyrica aut apud Illyrios usitata sunt. Plurima in Unae valle apud Bihac inventa sunt: *Andes* m., gen. *Andentis* CIL III 10035. 13270. 13278. 14012. 14013, *Boria* m. 14012, *Dennata* f. 13278, *Ditueius* m. 10040, *Loantius* m. 14328, *Oeplus* m. et *Slator* m. 13275, *Tritus* m. 13277, *Vendes* f. 13278; Illyricum est, credo, *Sinus* quoque m. 14013 et *Turranius* m. 10036. E nomine Illyrico **Pant-ad-* (cf. *Panto* f., *Pantia* f. Dalm. et quod suffixum attinet *Preur-ados* m. Apoll. Illyr., *Zor-ada* Dalm.) suffixo nescio an Illyrico derivatum est nomen *Pantad-ienus* m. 10034 (cf. venet. *Plas-id-ienus* Ateste et *M. Nasidius* WMBH 11, 123: *Nasidienus* Hor. sat. II 8). Tuscum forsitan sit *Voeturia* f. 13277, si ex *Voituria*, *Uolturia* fluxit. Negare non ausim Celtica esse nomina *Teuda* m. 14326 et *Uandano* f. 13277 (Schulze LE 44. 39) et in Lica meridiana, iam extra Iapodum fines (Aelia) *Mellito* f. 2999 (Vrebac) et (Aur.) *Melliti* dat. f. (Komić apud Udbinam, cf. Brunšmid, Vjesnik hrv. arh. dr., n. s. 3, 182 et Schulze LE 39).

Quae cum ita sint, admixtionem Celtarum apud Iapodes sane modicam fuisse neque terminos, quos apud alios Illyriae populos reperimus, multum excessisse facile ut credamus adducimur. Armatura Gallica, quam Strabo praedicat, gentem bellicosam et in re militari exercitatissimam usam esse minime mirabimur, si cogitabimus, quam multa armorum genera Romani vel ab hostibus acceperint. Iapodibus igitur, ut iam finem dicendi faciamus, contigit, ut Celtas, qui in invitos irruerant, suis moribus et sua lingua imbuerent.